

beant ullos libros legere, quibus integritas fidei, vel morum puritas facilè corrumpi potest; atque impri-
mis ne indiscriminatim legant amatoria illas fabulas
quas *Novels* vocant. Meminisse ipsimet Fideles con-
tinuò debent, quantâ cum severitate Ecclesia Spiritu
sancto directa, omnibus temporibus proscripterit om-
nia scripta, quæ eò tendunt ut aliquid de summâ re-
verentiâ sanctissimæ nostræ Religioni debitâ detra-
hant.

10. DE LIBERIS MURATORIBUS.

ARCHIEPISCOPUS et Episcopi injungunt omnibus
Sacerdotibus qui in ipsorum Diœcesibus sacrum ex-
ercent Ministerium, ut Pœnitentiae et Eucharistiae
sacramenta non administrent iis qui publicè cognos-
cuntur pertinere ad societatem Liberorum Murato-
rum, nisi positivè promittant se non amplius aditu-
ros esse illorum conventus (*Lodges*), nec unquam
professuros se ad illas societas ullo modo pertinere.
Insuper Pastores sæpè admonebunt populum fidelem
ipsis commissum, ut inire consortium cum hujusce-
modi Societatibus cautè devitet.

- † JOANNES, *Arch. Balt.*
- † LEONARDUS, *Episc. Gortyn.*
- † MICHAEL, *Episc. Philad.*
- † JOANNES, *Episc. Bost.*
- † BENEDICTUS, *Episc. Bard.*



CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE I,

HABITUM

ANNO 1829.

CONCILIUM PROVINCIALE I,

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI,

A N N O 1829.

EPISTOLA DEDICATORIA

Primæ hujus Concilii editionis, quæ Baltimori prodiit statim post ejusdem Concilii approbationem.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO
P A T R I
GREGORIO XVI PONTIFICI MAXIMO,
ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, CETERIQUE
FÖDERATÆ AMERICÆ PRÆSULES.

BEATISSIME PATER,

SIMUL atque inscrutabili Divinæ Providentiæ judio, ac sanctæ Sedis auctoritate, Episcopali munere fungi cœpimus, nihil antiquius habuimus quam ut veræ Fidei propagationi, ac Disciplinæ, quæ SS. Pontificum decretis sacrisque canonibus esset conformis, stabiendiæ, nisu toto incumbemus. Ad hæc porrò sanctorum synodorum celebrationem multùm conferre probè scientes, Baltimorum convenimus, et Concilium Provinciale primum mense Octobri anno 1829 habendum indiximus.

Sancti hujus Concilii, Apostolicâ auctoritate firmati Decreta, Romam ad SS. D. N. PIUM fel. rec. PP. VIII transmissa, Beatissimi Patris approbatione

munita, ac roborata ad nos tandem redierunt. Eadem igitur in lucem edituri, unà cum aliis documentis, quæ successoribus nostris in posterum necessaria, aut certè perutilia fore confidimus, Opusculum tibi, **SANCTISSIME PATER**, dicatum et volumus, et facimus. Id namque postulat summus honoris et jurisdictionis Primatus, quo Universali Ecclesiæ præes, ac moderaris; suadet plurimorum recordatio meritorum, quibus, etiam cùm in minoribus ageres, tuam erga nos benevolentiam sæpissimè testatus es; impulit nascentis in hisce regionibus Ecclesiæ decus, honos et incrementum. Posteris enimverò, **BEATISSIME PATER**, jucundum præclarumque hac nostrâ agendi ratione exemplum relinquemus: cùm scilicet novi orbis Præsules veterum inhärentes vestigiis intuebuntur, atque ad Romani Pontificis pedes provolutos, laborum suorum confirmationem, iisdemque sibique ab altâ Petri Sede Apostolicam Benedictionem efflagitantes.



PROÆMIUM.

POST acceptam ab Apostolicâ Sede facultatem omnia jura Metropolitana exercendi, etiam ante Pallii receptionem, Ill̄mus et Rev̄mus Archiepiscopus Baltimorensis, **JACOBUS WHITFIELD**, litteris suis mense Decembri anno 1828 datis, Præsules Provinciæ Baltimorensis ad Concilium, die primâ mensis Octobris anno 1829, in ipsâ Urbe Baltimoro celebrandum convocavit. Rev̄num quoque Episcopum Sancti Ludovici, Neo-Aureliæ administratorem, S. Sedi immediate subjectum, eo quod Diœceses quibus præest intra Fœderatae Americæ limites sitæ sint, invitavit ut, salvis ceteroquin suis privilegiis, Concilio interesset. Præsules Archiepiscopi votis læti et alacres annuere. Adfuerunt igitur:

Illustrissimus Archiepiscopus Baltimorensis, **JACOBUS WHITFIELD**, consecratus anno 1828, die verò Maii 25;

Rev̄mus Episcopus Bardensis, **BENEDICTUS JOSEPH FLAGET**, consecratus die 4 Novembris anno 1810;

Rev̄mus Episcopus Carolopolitanus, **JOANNES ENGLAND**, consecratus die 21 Septembris anno 1820;

Rev̄mus Episcopus Cincinnatensis, **EDUARDUS FENWICK**, consecratus die 13 Januarii anno 1822;

Rev̄mus Episcopus Sancti Ludovici, Administrator Neo-Aureliæ, **JOSEPH ROSATI**, consecratus die 25 Martii anno 1824;

Revñus Episcopus Bostoniensis, BENEDICTUS FENWICK, consecratus die 1 Novembris anno 1825;

Admodùm Reverendus GULIELMUS MATTHEWS, Vicarius Generalis Apostolicus Philadelphiensis constitutus à Sede Apostolicâ, die 26 Februarii anno 1828.

Aberant Revñi DD. JOANNES DUBOIS, Episcopus Neo-Eboracensis, et MICHAEL PORTIER, Episcopus Mobiliensis, qui trans mare iter anteā aggressi, ab Europâ nondū reversi fuerant. Revñus quidem Episcopus Neo-Eboracensis Procuratorem consti- tuerat Revñum D. JOANNEM BAPTISTAM DAVID, Epis- copi Bardensis Coadjutorem; sed ob adversam vale- tudinem, nec ipse potuit adesse.

ACTA CONCILII.

CONVENTUS PRÆPARATORIUS.

DIE ultimâ Septembris, Anno 1829, convenerunt Præsules in Ædibus Archiepiscopalibus; atque de creandis Officiariis seu adjutoribus Concilii, de Theologis et Canonistis assumendis, de Sessionibus et Congregationibus habendis, deque tandem regulis nonnullis quibus Concilio ritè incipiendo ac cele- brando consuleretur, egerunt. Quocircà sic placuit Patribus:

1. Nihil sancietur, quod executioni mandari facile non possit.
2. Nullum decretum prælo subjicietur, quin priùs S. Sedis approbatione firmatum fuerit.
3. Nihil ad Synodus referetur, praeter ea quæ Illñus D. Archiepiscopus Baltimorensis, consentientibus Revñis hujus Provinciae Præsulibus, tractanda esse judicaverit, nisi duabus tertiis partibus Prælatorum

aliter visum fuerit.

4. Sessiones manè horâ decimâ, Congregationes autem vespere horâ quartâ habebuntur, nec ultra spatum trium horarum protrahentur.
5. Prima Sessio habebitur Dominicâ primâ Octobris proximè sequentis, in Ecclesiâ Metropolitanâ, post Pallium Illñ D. Archiepiscopo Baltimorensi ab Revño Episcopo Bostoniensi, intra Missarum solemnia, traditum. Quoniam verò Congregationes convenit Sessionibus præire, prima Congregatio habebitur præcedenti Sabbato, die scilicet tertîa Octobris.
6. A die quartâ ad decimam usque diem Octobris, Missam solemniter celebrabit unus ex Concilii Prælatis, ordine suprà commemorato: Revñi autem Episcopi Carolopolitanus et Bostoniensis brevem ad populum concionem, alternis vicibus, habebunt.
7. Illñ D. Archiepiscopus, ex sententiâ Prælatorum, constituit Promotorem Revñum D. B. FENWICK, Episcopum Bostonensem. Deinde Rev. D. Magistrum J. B. L. EDUARDUM DAMPHOUX, in Marianâ Facultate sacre Theologiæ Baltimorensi Licentiatum, Secretarium Concilii designavit, eique adjutorem dedit Rev. D. FRANCISCUM P. KENRICK. Postremò Magistrum Cærominarum Rev. D. JOANNEM J. CHANCHE, eligendi sibi adjutorem potestate concessâ; Rev. verò DD. FRANCISCUM L'HOMME et JOANNEM RANDANNE Cantores nominavit.
8. Tandem ad Synodus invitati sunt spectatissimi viri, quorum nomina sequuntur:

Admodùm Reverendus Pater FRANCISCUS DZIE- ROZYNSKI, Superior Societatis Jesu in Americâ Fæderatâ, et admodùm Reverendus JOSEPH CARRIERE, Visitator Societatis Sancti Sulpitii.

Admodum Reverendus D. JOAN-
NES TESSIER, Vicarius generalis Ar-
chidiecesis Baltimorensis, et Mari-
anæ Facultatis Sacræ Theologiae
Baltimorensis venerandus Decanus;

Reverendus D. LUDOVICUS R. DE-
LUOL, Superior Seminarii S. Sulpitii
Baltimorensis, et Marianæ Faculta-
tis Sacræ Theologiae Baltimorensis
venerandus Syndicus;

Reverendus D. JOANNES BAPTISTA
LUDOVICUS EDUARDUS DAMPHOUX,
Marianæ Universitatis Amplissimus
Rector;

Reverendus D. FRANCISCUS PATRITIUS KENRICK,
ab Episcopo Bardensi adductus Theologus;

Reverendus D. SIMON GABRIEL BRUTE, ab Epis-
copo Carolopolitanus designatus Theologus;

Reverendus D. LUDOVICUS DE BARTH, ab Episco-
po Cincinnatensi designatus Theologus;

Reverendus D. AUGUSTUS JEANJEAN, ab Episcopo
Sancti Ludovici adductus Theologus;

Reverendus D. ANTONIUS BLANC, ab Episcopo
Bostoniensi designatus Theologus;

Reverendus D. MICHAEL WHEELER, à Vicario ge-
nerali Apostolico Philadelphiensi designatus Theo-
logus.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA,

HABITA IN ECCLESIA METROPOLITANA, DIE TERTIA
OCTOBris.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris,
et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Anno Domini

Theologi Me-
tropolitanæ
Ecclesiæ Bal-
timorensis no-
minati.

millesimo octingentesimo vigesimo nono, Pontifica-
tus SSMI Dñi nostri PII divinâ Providentiâ PP. VIII
primo, die tertia Octobris, Congregatio publica habita
fuit in Ecclesiâ Metropolitanâ Baltimorensi, cui præ-
fuit Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus, JACOBUS
WHITFIELD. Adfuerunt Revm̄us D. Episcopus Bar-
densis, BENEDICTUS JOSEPH FLAGET, antiquior Suff-
raganeus; Revm̄us D. JOANNES ENGLAND, Carolopoli-
tanus; Revm̄us D. EDUARDUS FENWICK, Cincinnati;
Revm̄us D. JOSEPHUS ROSATI, S. Ludovici;
Revm̄us D. BENEDICTUS FENWICK, Bostoniensis
Episcopus; qui omnes juxta ordinem consecrationis
concedere: et ultimo loco admodum Reverendus D.
GULIELMUS MATTHEWS, Vicarius Generalis Apostoli-
cus Philadelphiensis. Aderant etiam Superiores
Ordinum, Doctores et Theologi in conventu præ-
paratorio nominati. Episcopi omnes, et Mariani
Doctores rochetto et mozzettâ, ceteri verò Sacer-
dotes superpelliceis induiti erant.

Implorato divino auxilio, flexis genibus, per Anti-
phonam *Veni sancte Spiritus*, ¶, et Orationem con-
venientem, Illm̄us D. Archiepiscopus ea denuntiari
jussit, quæ de Officiariis, Theologis, Canonistis, ac
ceteris ad Concilium spectantibus statuta jam fue-
rant in prædicto conventu Prælatorum.

Deinde indictâ primâ Sessione ad diem Domini-
cam proximè sequentem, et Antiphonâ *Sub tuum*
flexis genibus recitatâ, omnes discesserunt.

SESSIO PRIMA.

ANNO Domini millesimo octingentesimo vige-
simō nono, die mensis Octobris quartâ, quæ fuit
Dominica, habita est prima Sessio in Ecclesiâ Me-
tropolitanâ Baltimorensi.

Horâ decimâ, Revm̄us D. Archiepiscopus pontificia, Episcopi verò pluvialia supra rochettum induerunt cum mitris; Vicarius generalis Apostolicus pluviale absque mitrâ; Doctores, Theologi, aliqui Sacerdotes sacerdotalibus indumentis ornati adstiterunt dum Sacrum ab Revm̄o Archiepiscopo fieret. Post Sacrum, concionem ad populum habuit Revm̄us Episcopus Carolopolitanus; quâ finitâ, Pallium Revm̄o Archiepiscopo ab Revm̄o Episcopo Bostoniensi usitatâ formâ traditum est.

Deinde aperta est Synodus more solemnî, servatis omnibus quae in Pontificali Romano præscribuntur: atque Illm̄o D. Archiepiscopo interrogante: *Reverendissimi Patres, venerabiles Fratres, placetne vobis ad Dei gloriam et honorem, et ad Catholicæ Ecclesiæ amplificationem, Concilium Provinciale Baltimorense legitimè convocatum, et hic congregatum, hodierno die aperiri, et inchoari?* Singuli responderunt altâ voce: *Placet, aperiatur.* Illm̄us igitur D. Archiepiscopus, tam suo quâm Coepiscoporum nomine, ita ad populum conversus pronuntiavit: *Christi nomine invocato, decernimus sanctam Synodum Provincialem Baltimorensem esse apertam, et ita judicamus.*

Deinde Revm̄us D. Archiepiscopus mandavit eorum nomina per Secretarium legi, quos ipse tanquam Concilii Officiarios proponebat; quibus perfectis, ad Revm̄os Coepiscopos conversus, ita interrogavit:

Placetne vobis, venerabiles Fratres, hosce in Concilii Officiales eligendos? Et Episcopi singuli responderunt: *Placet.* Secretarius itaque Decretum legit, his verbis: *Rev̄m̄us D. Archiepiscopus Baltimorensis, unà cum Episcopis in hoc sacro Concilio*

congregatis, decernunt hosce Reverendos viros in Officiales hujus sancti Concilii eligendos esse, et legitimè jam electos, nempe: Promotorem, Rev̄m̄um D. B. FENWICK, Episcopum Bostoniensem; Secretarios, Reverendos DD. EDUARDUM DAMPHOUX, S. T. D. et FRANCISCUM P. KENRICK; Magistrum Cæremoniarum, Rev. D. JOANNEM JOSEPH CHANCHE; Cantores, Reverendos DD. FRANCISCUM LHOMME et JOANNEM RANDANNE.

Postea Revm̄us Promotor Rev̄m̄um D. Archiepiscopum allocutus est his verbis: *Illustrissime ac Reverendissime Domine, peto ut legantur decreta Concilii Tridentini de Professione fidei, et de Residentiâ.* Tum versus ad Revm̄os DD. Coepiscopos Illm̄us D. Archiepiscopus, ab his siscitatus est his verbis: *Venerabiles fratres, placetne vobis ut legantur decreta Concilii Tridentini de Professione fidei, et de Residentiâ?* Et singuli responderunt: *Placet, legantur.* Prædicta igitur decreta ab Archidiacono altâ voce lecta sunt. (*De Prof. fidei, Sess. 25, Cap. 2 bis de Ref. Cogit, etc. De Resid. Sess. 6, Cap. 1, de Ref. Eadem S. Synodus, etc. et Sess. 23, Cap. 1. de Ref. Cùm præcepto, etc.*)

Quibus peractis, Revm̄i Provincialis Synodi Patres, fidei Professionem emiserunt juxta formam in Pontificali Romano positam: ac demum proximâ Congregatione ad diem sequentem indictâ, Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus Clero ac populo solemniter benedixit, omnesque domum se receperunt.

Horâ quartâ postmeridianâ, Vesperæ solemniter cantatæ sunt: Revm̄us Episcopus Bostoniensis concionem habuit, post quam benedictio SS. Sacramenti data est.